



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-840736-p0001-9

DFG



Z5  
B. C. D.

Pra. 3. num. 4,

1771, 4

5

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>CA

DE

# JURIBUS NEUTRALIUM IN BELLO,

QVAM,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOSOPHICA  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHISWALDENSI,

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO ATQUE AMPLISSIMO

DN. Mag. JOH. CHRISTOPHORO  
MUHRBECK,

MORAL. PROFESS. REGIO ET ORDINARIO,

AD

OBTINENDOS SUMMOS IN PHILOSOPHIA  
HONORES

DIE XI. MART. A. O. R. MDCCCLXXI.  
L. H. Q. A. M. S.

PUBLICE VENTILANDAM SISTIT

ANDREAS CH. RUBIN

SMOLANDIA - SUECUS.

---

GRYPHISWALDIE  
LITTERIS A. F. RÖSE  
REG. ACAD. TYPOGR.



VIRO GENEROSISSIMO  
DOMINO  
**CAROLO FRIDERICO FEIF,**

Ad Rem Nauticam Capitaneo Commendatori  
fortissimo,

Regii ensiferi Ordinis Equiti splendidissimo,

FAUTORI SUMMO,

Hocce specimen academicum, cum votis omnigenæ felicitatis, omni, qua decet, animi veneratione, offerre, seque in posterum favori tradere debuit, voluit

TANTI NOMINIS

Cultor devotissimus  
**ANDREAS RUBIN.**

## VIRIS

ADMODUM REVERENDIS ATQUE PRÆCLARISSIMIS,

DN. Mag. DAVIDI STÄHL,

Ecclesiarum, que Deo in Vernamo, Våxtorp & Tånnö colliguntur,  
Pastori meritissimo, & Territorii Ösboensis Præposito  
adcuratissimo.

NEC NON

DN. Mag. OLAVO UNNERO,

Pastori in Resteled & Annerstorp fidelissimo,  
Avunculo suavissimo.

VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQUE PRÆSTANTISSIMO

DOMINO JONAE SIÖGREEN,

Ad Rem Nauticam locum tenenti strenuissimo,

PATRONO OPTIMO.

VIRO SPECTATISSIMO ATQUE MERITISSIMO

DOMINO DANIELI UNNERO,

Vestigalis maritimi Carolicoronensis Inspectori adcuratissimo,  
Avunculo amantissimo.

Vobis FAUTORIBUS atque PATRONIS, omni, qua par est,  
animi submissione atque observantie cultu ad urnam usque colendis,  
hance Dissertatiunculam, ob multa in se collata beneficia, gratissi-  
mam testaturus mentem, in sui ulteriore commendationem humil-  
lume dat, dicat, dedicat

## VESTRORUM NOMINUM

Cultor observantissimus

ANDREAS RUBIN.

PARENTIBUS INDULGENTISSIMIS,  
VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO

DN. SVENONI LUNDELIO,

Comministro in Vernamio, Växtorp & Tännö Vigilantissimo,  
PATRI OPTIMO,

nec non

ULRICAЕ natæ UNNERAE,  
MATRI SUAVISSIMÆ.

Præcipua ac singularis VESTRA in me benevolentia, cura atque reliqua PATERNI VESTRI amoris ducumenta, quorum unum jam alterum in dies excipere solet, suadent jubentque, ut hafce Pagellas, qualescunque sint, VOBIS debita observantia atque animo offeram gratissimo: Spero fore, ut hasce miti ac serena fronte accipias. Deus VOBIS (majora enim sunt beneficia, quam ut mortales compensare queant) illa ista mihi præstata rependat abundantissime. Pro VESTRO perenni flore & incolumitate, preces ad DEUM ter Optimum terque Maximum fundere calidissimas nunquam intermittam

INDULGENTISSIMORUM PARENTUM

Filius obedientissimus

ANDREAS RUBIN.





**G**entes in suo de juribus eorum, qui inter bellantes *mēdiū* sunt, judicio non sibi constare, docet historia. Id quod haud miramur; Præter quam enim quod belli- gerantes plerumque propriæ rei studio adeo capti sint, ut in cauiss alienis penitus fere cæcutiāt, nemo ignorat, inter ar- ma sèp̄is obmutescere leges. Potius autem dissensum dem- ramur philosophorum, ex quibus fanioria exspectare fas est ju- dicia. Dolet vero nobis, si verum esset, quod eo iniquitatis humanæ atque perversitatis progrediantur gentes nostris etiam diebus dimicantes, ut respublicas, que neutrius esse partis nul- loque modo se bello immiscere cupiunt, non tantum ad neu- tralitatem deserendam adigere, verum etiam vario modo eo- runderem jura coercere studeant. Non quidem unicum, sed plura nobis exempla porrigit nuncii nostri publici. Ast hi relata & non semper vera referunt. Hæc tamen, hanc mate- riāl curatius pensitandi, benignam nobis præbuerunt ansam.



## §. 1.

Quoniam Jus Gentium originarium, internum s. necessarium nihil aliud est, quam jus naturæ ad integras gentes applicatum: Et gentes tanquam personæ singulares sui juris & liberae in statu naturali spectari possunt: Haec autem personæ singulares eadem jura naturalia atque obligationes habent, & omne imperium inæqualitatem obligationum juriumque ponit; (per L. Jur. Nat.) consequens est, gentem in gentem nullum sibi arrogare debere imperium.

NOT. Si vel cum Illustri Wolffio Civitatem illam maximam, cuius membra omnes in universum gentes sunt, admitteremus, & hinc imperium quoddam gentium in singulas, ad mutuum adjutorium in se, statu quo perficiendo & ad commune bonum conjunctis viribus promovendum tendens, libenter concederemus, tamen inde non sequitur, gentem in gentem jure sibi imperium arrogare posse; Hæc enim civitas maxima procul dubio & ex hypothesi status quidam popularis, adeoque imperium istud universis gentibus reservatum est, unde claret, imperium, quod penes universos tantum est, non in unam quan-

## §. 2.

Finis, propter quem homines sui juris sese consociaverint, civitates, cœtusve perfectos formaverint, eos ad sufficiētiā vitæ suæ, tranquillitatem & securitatem omni honesto, quo fieri potest, modo conciliandam, obligat; Tanquam officium itaque cuiuscunq; gentis indubium salutari potest, ut pro virili, honeste tamen, eo labore, ut ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem atque jucunditatem requirantur, sibi sedulo comparet & ut a metu tam externæ vis, quam omninis generis injuriarum vacua sit. (per L. J. publ. Univ.)

## §. 3.

Cum gentes tanquam personæ singulares in statu naturali viventes spectari possint; (§. 1.) Haec autem personæ ad mutuum amorem & benevolentiam, nec non ad actiones suas ita dirigendas, ut omni, quo fieri potest, modo etiam aliorum homi-

hominum felicitatem promoveant, obligentur; (per L. J. N.) non dubitari potest, quin gentes, ad eundem amorem erga se invicem & benevolentiam, finemque civitatum aliarum promovendum, obligatae sint.

NOT. *Vel nobis non monentibus, constat, heic sermonem tantum de obligatione imperfecta esse, & hinc gentes, quae hoc officium omitunt, licet peccent, tamen neminem externe s. stricte lacerare, adeoque ad præstationem ejusmodi officii non cogi posse.*

#### §. 4.

Princeps & rector civitatis, ad finem ejus (§. 2.) promovendum perfectum jus habet. (per L. J. publ. Univ.) Jus itaque perfectum ad omnia media honesta ei est; Gens ergo, quae alteram impedit, quominus hunc finem s. sufficientiam vitæ tranquillitatem & securitatem obtineat, eam stricte lacerat.

#### §. 5.

Via decidendi inter gentes litigia est vel *amicabilis* s. *amica vel bellica*. Propositum certandi pro alio certante, favor vel studium partium est. Hoc, sc. studium partium, monstrari potest, vel ope ratiociniorum, h. e. logice, vel per vim appertam, h. e. bellice. Studium partium prioris generis *dianœticum* s. *discursuum*, posterius vero *bellicum* appellari potest. Dianœticum illud, vel recedit a via amicabili, vel non, & hinc l. *hostile* l. *minus* evadit. Non *hostile* interdum *simplex* dicitur & nuncquam cum convictio coniunctum est: *hostile* qualificatum est, cui convictum, quod *injuria* est, admixtum. Favor autem partium *bellicus* ad societatem cum uno bellantium ineundam tendit, & hinc *Inimicitiam* s. *hostilitatem* semper involvit.

NOT. *Studium partium plerunque in sensu malo sumitur. Hunc autem esse sensum ejus strictissimum, arbitramur. Datur enim etiam studium quoddam partium, quod iustum salvare potest, quatenus illud bonitate & iustitia causæ unice nititur; Unde laxior vocabuli acceptio haud incongrua videtur, cum casus dentur, ubi ex amore veri & iusti oculato unius partis disceptantis causam defendimus citra omnem propolepsian, vel sine omni commodorum turpi consecratione.*

#### §. 6.



## §. 6.

Vacui a favore & studio partium vel certamine disceptantium se immiscere nolentes, *medii* sunt, & quia neutri certantium parti adhærent, *neutrales* vocantur, ipseque status eorum, qui mediī sunt, vel nullam disceptantium partem sequuntur, *neutralitas* communiter appellatur. Quoniam autem favor partum vel dianoëticus, vel bellicus esse potest, (§. 5.) *neutralitas* vel *dianoëtica*, quæ *indifferentia judicij* dici potest, vel *bellica* est. Illa omne suspendit judicium de causa controversa ejusque justitia. Hæc ad bellantes, quæ tales, h. e. non qua argumentis disceptantes, sed vi hostili certantes, refertur. Ergo, licet quis indifferentiam judicij non observat, tamen ei neutralitas bellica tribui potest, & a studio partium discursivo ad favorem earumdem bellicum non rite concluditur.

## §. 7.

Hicce principiis concessis, & quis non concederet? jura & obligationes gentium, quæ *media* sunt s. *neutrales* esse cipiunt, evoluta non erit difficile. 1.) Sequi credimus, quod cuique genti, nullo nimirum obstante pacto, licitum sit, ut in bello sit media, neminemve sua stricte lœdat neutralitate. Cum enim gens alterius non subfit imperio (§. 1.) ipsi de suis disponendi actionibus competit jus, adeoque ejus relictum est judicio, utrum neutralis esse velit, vel minus. Qui autem suo uitetur jure, nemini injuriam facit. Ergo gens neutralitatem arripiens, nullo obstante pacto, neminem externe lœdit.

NOT. Adebet quidem interdum obligatio quadam interna, ad opem & auxilium ei ferendum, quem immerito opprimere studet *injustus* belator. (§. 3.) Omisso autem ejusmodi obligacionis nullam infert legiōnem stricte si dictam (§. 3. not.). Quamquam igitur neutralitas non semper interne lœta est, tamen sub hypothesi in *opere* allata nunquam externe illicita est.

## §. 8.

Quoniam gens neutralitatem arripiens, nullo obstante pacto, neminem stricte lœdit, (§. 7.) & nunquam hæc neutralitas externe illicita est. (ibid. Not.) Prætereaque ad officia imper-

9

perfecta nemo cogi potest, (§. 3. not.) plus quam in aprico est, gentem neque alteram ad suis adhaerendum partibus, s. neutralitatem deferendum, neque ad omnem favorem partium (§. 5.) intermittendum jure cogere posse.

NOT. Si gens vel ad unguem, ex altera parte omnia commoda & quæ hoc in casu officia humanitatis requirant, & ex altera omnia in fortunia & incommoda in eam redundantia, nec non lesionem internam, nisi altera, vel neutralitatem arripiat, vel eandem omittat, demonstrare valeret; Altera autem h[ic] se persuasionibus fortissimisque motivis non movetur, siue relinquenda est forti, & neque amor, benevolentia, studiumque, verum commodum alterius promovendi, neque leſio interna dat jus cogendi; Nec enim beneficia homini sui juris obtrudenda sunt, sed, vi libertatis naturalis, ejus stat judicio, quid facere vel ferre recusat, & nulli rationem, quatenus a nullo dependet, reddere tenetur, cur hoc potius quam aliud facere malit, vel cur potius medius, quam alterutri adhaerere parti, esse velit.

En! itaque, quanta leſio obverſetur, quantaque injuria, cum gens proprio ſolummodo dubia commodo alteram, ad neutralitatem deferendam, cui forte maxime est salutaris, cogere ſtudet. Hoc est more prædonum, ſpreto etiam innocentissimi interitu, lucrum, ſuique conſervationem, querere.

### §. 9.

2.) Gens proba, veræque gloriae amans, in bello media est, vel quia non conſtat, penes quamnam partem iuſtitia belli fit, vel quia prudentia, ſtatusque præſens conditio atque ſalus, ut maneat neutralis, expoſcit. Si illud, ſuum ſuspendit iudicium & ab omni ſtudio partium tam dianoëtico quam bellico (§§. 5. 6.) vacua eſt: Si hoc, non neceſſum eſt, ut ſe ab omni favore partium dianoëtico abſtineat. Studium enim partium diſcurſum, quod ſimplex eſt, minime gentium hostile eſt. (§. 5.) Quin immo, adeſt ad hoc indicandum obligatio quædam interna, ſi nempe fieri potest, ut alterutra pars belligerans ope ratiociniorum & demonstrate iuſtitiae cauſſæ a bello abſtineat. (§. 3.) Aperte igitur errant, qui, ut neutrales ab omni de julfitia, vel iuſtititia cauſſæ, iudicio abſtinere debeant, ſibi perſuadent.

b

NOT.





NOT. 1. Distinguitur autem non immerito hic favor partium simplex dianoticus a qualificato illo, cui injuria certe admixta est. (§. 5.) Et nunquam donec duret neutralitas bellica, admittendus. Judicium nempe decisivum uni vel utrique bellantium obtrusum apertam infert lassionem & imperium gentis in gentem redoleat. (§. 1.)

NOT. 2. Cum studium illud partium discursivum, non hostile & qualificatum, sed simplex & amicabile ei, qui medius est in bello, licetum sit, queri potest, an id, quod de justitia vel injustitia belli sentiat, suave judicia & ratiocinia, publici juris facere & divulgare debet?

Id quod omnino negandum est. Hoc enim facile in infuriam abit, Et gens de justitia sua causa, cui suam veram alligatam esse gloriam credit, convicta, licet revera in culpa veretur, (caei enim in propria causa plerumque sumus) non potest non ejusmodi judicia publica, tanquam lassiones apertas, & crimen locis neutralitatis, detestari.

NOT. 3. Sed quid in hoc commate decet privatum? Vel exco apparet, ei majus non competere posse jus, quam integræ genti. Et eruditus, licet se certo quodam respectu legislatoribus maxime illius civitatis (§. 1. not.) adnumerare possit, licet suum studium, suaque opera orbi literario præsternim dicet, Et licet in posterum, in gloriam virtutis ac dederit vitiis facta gentium & criminis principium alia voce praedicare fas sit, nunquam tamen sibi licitum esse credat, in casu speciali, vel adhuc durante gentium lite, cuius decisio armis dudum oblata est, sua de justitia causa belli ratiocinia divulgare. Potest quidem facta iuxta in genere vividi pingere coloribus, sine tamen omni ad statum presentem applicatione. Privati in hoc puncto improvidi, quamvis studio maxime laudabili justitia commoti essent, jure ad poenas evocantur. Ne futor ultra crepidam! rite monetur. Et quis te judicem constituit? jure queritur.

### §. 10.

3. Si gens ante bellum, nemineque de inimicitiis jam observantibus cogitante, pacto de certo & determinato numero militum vel alii subsidiis in quoconque casu, quo poscuntur, præstandis, se obstrinxerit, salva neutralitate bellica huic pacto stare & debet & potest. Pacta enim sancte fervanda sunt.

(per

(per L. J. N.) Ergo id præstanto, quod alteri vi pacti ante bellum initi debet, alterum non laedit, & quidem neque interne, neque externe. Ergo in hac præstatione & solutione debiti necessario non sequitur propositum certandi pro alterutra jam certantium parte, vel animus societatem, que inimicitiam & hostilitatem involveret cum una l. altera parte bellantium in casu jam exsistente & præsenti bello ineundi; Ergo studium partium bellicum exinde non sequitur. (§. 5.) Cum autem hic favor partium bellicus bellicam solummodo tollat neutralitatem; (§. 6.) nulli dubitamus, quin salva manere possit neutralitas bellica, licet in casu allato gens suo stet pacto; Unde haud exiguum esse videtur injuriam, si gens eam ob causam a neutralitate alteram refrenare studeat, vel ob servatum pactum ei jura status medii denegari.

NOT. Casus est possibilis, ut gens utrique belligerantum foedere de subsidio l. copiis auxiliaribus, mittendis obstricca sit. Quid faciendum, quidvis iustum? Anne, si aquale est, quos sponsorerit, in ejus possum est potestate, neutri stipulata subsidia mittere, quia, si mitteret, idem est, ac altera manu dare, & altera tollere? vel, anue, in casu, quo inaequale est, licitum est, ut facta subtractione, residuum tantum præstaret? Affirmando quidem respondent magna quidam nostri avi philosophi. Tamen nullum nobis superest dubium, quin contraria arripienda sit sententia; Per se quidem constat, hoc sine injuria, vi consensus utriusque bellantis, fieri posse; Sed, dissentiente uno vel altero, de facto & proprio quasi mutu ita disponere, injuria foret, & medio illictum. Non enim cuique bellanti perinde esse potest, quod sub illa conditione subsidia stipulata non præstentur. Cui, e. g. centum millia militum sunt, facile decem millia, qui in subsidium muterentur, spernit, modo hostis ejus, cui forte vix dimidium est, & cui eam ob rationem maxime necessaria sunt, hinc auxiliis etiam carreat. Illi enim in præsenti superflua fortitan sunt, non autem huic &c. Vel ponamus, quod de certis fortiliciis s. munimentis tempore belli tradendis cum utroque partium sit, facile fieri potest, ut alter lumenter de suo cedat jure, quia haec arcis in præsenti ei exiguae sunt utilitatibus, id quod autem respectu alterius varias ob rationes non semper



locum obtinet. Absque consensu itaque utriusque belligerantis ne minimum quidem, qua sua praestanda, immutare potest neutralis.

§. II.

4.) Genti, quæ neutrarum partium est omnia jura ad finem nempe civitatis suæ obtainendum necessaria (§. 2.), quæ ei extra bellum sunt, in bello competunt; nisi particulare quoddam fœdus neutralitatis obstat. Ejus enim respectu nullum est bellum, sed utrique bellantium amicus est. (§. 6.) Ergo, nisi præcedat læsio, non ut inimicus respicienda est; Ergo uterque bellans ei concedere debet eadem jura, quæ tempore pacis amico negari nequeunt, nisi eam in ejus juribus & obligationibus turbare, h. e. ledere, velit. Porro hostis quidem suo hosti varia, durante bello, mala infringere jure potest; media autem, quibus simul amicus & innocens non minus ac ipse hostis punitur & destruitur, semper illicita sunt. (per L. J. N.) Justitia denique unicuique jus suum tribui jubet, & hæc obligatio tenet etiam gentes. (§. 1.) Utilitas sicuti in privatis, ita etiam in gentibus nullam facit exceptionem. Utilitas unius non delere potest & suffocare jus alterius. Si sumatur, quod tamen sine manifesta injustitia sumi nequit, licitum esse in casu, quo nostra interest, jura alterius intra arctiores coercere cancellos, propterea quod nostra quædam utilitas id requirere videatur, omnis generis injustitiae late fores panduntur, ac omni juris reverentie valedicetur. Si igitur gens in bello media finem civitatis suæ sine libero exercitio commerciorum & quidem vel cum uno vel cum utroque belligerantium, minime promovere possit, ad quem tamen promovendum cuique principi perfectum est jus (§. 4.) & quælibet gens obligata est; (§. 2.) claro, ut nobis videtur, clarius est, quod hæc commercia non minus in bello quam extra bellum neutrali licita sint, si vel merces, arma, tormenta, annona, pulvis pyrius, e. c. essent; Pone enim gentem cuius exportatio primaria in ejusmodi mercibus confisteret, & cui itaque altissima infingerentur vulnera, si harum venditio prohiberetur, nonne in neutralem valde foret injurium, hoc ejus commereium destruere

struere & hinc multa millia hominum, qui hostes non sunt, nec ullo modo studium partium bellicum, vel *animum*, partem adversam juvandi, sovent, non tantum bonis, sed etiam ipsa forsan futiltatione vite privare? In ejusmodi casibus amicus sene & innocens plus saepius futilneret, patiretur & puniretur, quam ipse hostis acerbus. Sed dicas, te non impedire, quo minus cum aliis, quibuscunque voluerit, suam exerceat mercaturam, eumque tantum ab hoc commercio cum hoste tuo refrenare, quia, donec illum liberum sit, tibi hostem tuum coactu admodum evadet difficile, vel forsitan impossibile. Rite autem respondetur: Quo jure postulas, ut tibi licitum sit, hostem tuum vi damni, maximique detrimenti amici, innocentis s. neutralis cogere? Si sub alia conditione eum cogere, injuriarum ulcisci, ac reparationem damni accipere nequis, in presenti tua impotentia atque imbecillitate de hisce cogitare non debes. Ast credere videris, quod, alterius uti digitis, fas sit, cum tibi forceps, qua ferrum educas, deest, nullus praeterea de eo cogitans, quod satius sit, damnum pati, quam dare. De tuo quidem corio luditur, nisi vincas; Sed quid inde? Idem valet, procul dubio de altero? Et nonne etiam iustitia tua causa dubia esse potest? Forsan iugulatus te quam alterum perdere foret? Et ulterius. Quo jure de studio partium, de illico adjutorio, de injuria quereris? cum nec tibi easdem merces, idemque adjumentum neutralis negat. Verbo: Sine jauctura amici, poena innocentis & summa in neutrali injuria commercium ejus coerceri nequitur.

Sin autem fœdus quoddam speciale neutralitatis adest, quo se obstrinxit, quod partem adversam nullo modo, adeoque neque directe neque indirecte juvare velit, mutatur sponte fœna, & neutralis parti belligerantium alteri nec amonam, nec arma, nec subsidia, nec auxilia, nec alia, quæ in bello usum faltem habent, aut quoconque modo adjumento esse possunt, suppeditare, nec quicquam facere debet, quod quoconque modo federator suo obesse possit. At enim vero cum hoc non ex natura neutralitatis in se spectat, sed ex speciali illo federe fluit, constat, immota utique stare, quæ supra monstravimus.



NOT. 1. *Gentes plerasque antiquiores contrariam foviisse sententiam, satis superque docent, ut alios taceant, Polybius L. 1. Livius L. 38. Cap. 27. 28. Plutarchus in vita Pompeji, Demetrii & Bruti, Agathia L. 3. Procopius L. 1. Gothicorum. Populi Europae autem nostris diebus florentes toties fere in hoc puncto mutarunt sententiam, quoties propriæ rei commodum id poposcerit. In primis ANGLI & BATAVI hujus iniquitatis rei sunt. Cum enim ipsi in bello fuerunt mediis, semper liberum commercium acerrime defendeunt; bello autem immixti mercaturam neutralium quovis modo coercere studuerunt. Cuius veritatis exempla haud rara sunt. Quodam notatum digna tradunt Thuanus in Historia anni 1589, Camdenus in Annal. Angl. & Hibern. 1576, 1589, 1591, 1597, 1598. Rehdanus in Historia Batavica anno 1597. vid. Grotius de J. B. & P. Lib. III. c. 1. 5.*

NOT. 2. Hugo Grotius, vir quovis titulo magnus, eius vestigiis omnes fere philosophi in hoc punto insistere nobis videntur, pro libero quidem commercio, loco supra citato, pugnat; Excipit tamen noui tantum omnes merces, qua sub nomine armaturæ bellicæ venire possunt, verum etiam annonam & quicquid ullo titulo hosti auxilio esse posse. Quod si juris mei executionem, oit, rerum subiectio impediatur, idque scire poterit, quid advexerit, ut si oppidum obsecsum tenebam, si portus clausus, & jam deditio & pax respectabatur, tenebitur mihi ille de damno culpa dato, ut qui debitorem carceri exemit, aut fugam ejus in meanam fraudem instruxit, &c. Argumentum autem hoc, ex casu quodam speciali similitudine vulde claudiente petitus, parum stringere, quilibet intelligit. Id quod etiam dudum sentivit & in dissertatione de Jure belli in amicos monstravit illustris COCEJUS, quem confutare & Grotium defendere vindicit AD. FRID. GLAFEYUS in Op. Recht der Vernunft, Lib. 6. §. 19. seqq. Re ipsa tamen convenit cum Grotio. Et nos, freti veritatibus mox demonstratis, sine formidine oppositi statuere audemus, utrumque, & Cocejum & Glafeyum, argumentis seducecentibus Grotiano haud fortioribus, humani quid hac in causa pati. Argumenta etiam eorum in medium proferre, haud quidem ab instituto nostro alienum esset, sed studio prolixitatem avitanter hec & alia H. D. Opponentibus linquimus, contenti, si rem directe, uti est, monstrare valuerimus.

TANTUM. SICORUM. SICORUM. SICORUM.

CLARISSIME  
DOMINE CANDIDATE,

AMICE IN FAUCIS DILECTE.

Virtus, quippe mihi inde usque a teneris venustissimis depicta colo-  
ribus, ut semper amabilis vifa est ac veneratione digna, ut eam amo-  
re non potuerim non prosequi tenerrimo: ita etiam illos, in quibus  
dilectissimum huncce situm deprehendi thesaurum socio amplecterer  
amore, quadam quasi coactus sui necessitate. Quid mirum igitur, si  
Te, Amice integerrime, tot ornatum virtutibus, ab eo usque tempo-  
re, quo mihi primum Tecum versandi fuerit copia, impensius quin  
amarem, impetrare a me nequierim. Sed nec hoc unicnm, collata  
mihi a Te haud pauca beneficia, amorisque erga me Tui documenta  
haud vulgaria, arctius adhuc multo fecere hocce amoris vinculum, ut  
nullo non die mei erga Te animi testificandi, gratique declarandi stu-  
dii subministrari mihi occasionem exoptaverim commodam: Id quod  
tamen in hunc usque diem, me licet maxime invito, in vanum abiit;  
donec tandem jamjam, ad summos in Philosophia obtinendos hono-  
res dum ultimum adgredieris laborem, ansam hancke publice, qua-  
diu optavi, significandi, arripere mihi licuit. Gratulor itaque insi-  
gnes, quas natura Tibi concessit, ingenii dotes: Gratulor de egre-  
giis, quos fecisti in Disciplinis eruditis, progressibus: Gratulor deni-  
que Lauream Tibi, confecto tam bene curriculo Tuo Academicoo,  
brevi cessuram. De cetero, cedant Tibi, voveo, ex voto omnia:  
Redreas, precor, in Patriam felix, præmiaque ibi virtutibus Tuis ac  
meritis digna, reportes uberrima, pulcherrima.

PETER NORDSTEDT.

HONORATISSIMO NEC NON CLARISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
ANDREÆ CHR. RUBIN,

EGREGIÆ HUJUS DISSERTATIONIS  
AUCTORI.

*Jura* decet belli justo servare tenore,  
*Neutrarum* quamvis veniant sub nomine gentes:  
Belligerantes ne externis lèdantur inique  
A populis; Rem belle dōces nos, suavis amice!  
Ordine tam pulchro, ut qui perlegit hafce pagellas  
Inveniet fieri plus sat desiderioque.  
Gratulor hinc merito studiorum culmina quare &  
Semper honos nomenque Tuum laudesque manebunt.

Adscripsit tui amantissimus  
CAROL. PET. WIEBE,  
Opponens.




V  
D  
A8

ULB Halle  
005 372 003

3







*TIO PHILOSOPHICA*

DE

# NEUTRALIUM BELLO,

QVAM,

PLISS. FACULT. PHILOSOPHICA  
DEMIA GRYPHISWALDENSI,

RÆSIDE

RIMO ATQUE AMPLISSIMO

H. CHRISTOPHORO  
UHRBECK,

ESS. REGIO ET ORDINARIO,

AD

MMOS IN PHILOSOPHIA  
HONORES

ET. A. O. R. MDCCLXXI.

I. Q. A. M. S.

VENTILANDAM SISTIT

S CH. RUBIN

LANDIA - SUECUS.

YPHISWALDIE

LIS A. F. RÖSE

G. ACAD. TYPOGR.



*Pr. 3. num. 4,*

*1771, 4*